

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0524

0522

0528

0518

0533

0513

0573

0473

0623

0423

1023

0023

Ende

Anfang

509

vellet, restituere vi cogendi essemus. Hoc auditu expavimus et tumbam truncatam reperimus, nec erat inter nos, qui confiteretur se hoc fecisse, et unus alium respexit et omnes ei, qui fecit, malediximus, rogavimus tamen nos invicem, ut reus sine verecundia confiteretur et redderet abscissam peciam et omnes cum eo vellemus concurrere in reatu et solvere solvenda, sed nemo erat, qui se manifestare vellet, donec Calinus noster diceret, quod reus occulte sibi praesentaret frustum lapidis (**b**) et rem occulte complanare vellet. Et sic factum est; quis autem reus fuerit inter nos, hodie me latet. Multas angustias et confusiones sustinuimus per totam peregrinationem propter indiscretam quorundam devotionem ad habendum particulas de locis sanctis, ut dixi P. 1. F. 217 B. Hac turbatione sedata venerunt officiales conventus, monachi, et inverecunde a nobis Valete in pecunia postulabant, quibus etiam deditimus, quamvis non meruerint. Deinde venit pater monasterii in propria persona, vir non multum senex, robustus et prudens, et petivit, ut quatuor camelos oneratos fructibus nobiscum in Aegyptum descendere permitteremus. Singulis enim annis isto tempore mittit pater monasterii domino Soldano regi Aegypti fructus in ligneis cistis obfirmatis, collectos in regione deserti Synai et Oreb, et rex pro magno munere acceptat pro eo, quod creverint in illa sancta regione, et dividit eos potentioribus tyrannis Aegypti, qui tamquam res sanctas e coelo missas eos fructus suscipiunt. Recepimus ergo in nostrum consortium illos quatuor camelos. De hortis, ubi illi fructus in deserto crescunt, vide supra fol. 41. b.

Cum ergo omnia essent pacata et cuncti essent soluti, timuimus, quod post exitum nostrum sequerentur nos Arabes et in solitudine nos turbarent. Idcirco descendimus cum Calino ad muscheam, ubi Arabum capitaneus erat, et evocato eo rogavimus, ne gravaremur extra monasterium per suos, qui promisit, quod per suos nihil mali passuri essemus et, si vellemus ex toto securi esse, ipse vellet de suis servis nobis defensores adjungere per duas vel tres deserti mansiones. Ista responsione contenti et securi a viro recessimus. Per praedicta igitur impeditus fuit recessus noster usque ad meridiem et in solis fervore oneravimus cum multo labore camelos et cum multis litigiis, quia camelarii

